



**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsqve Ad  
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve  
Perinde Vtilis**

**Servius, Philippe**

**Leodii, 1648**

§. Quartvs. Acceptâ Venerabili Eucharistiâ, quid agendum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

## §. QVARTVS.

*Acceptâ Venerabili Eucharistiâ,  
quid agendum?*

**C**onsideratâ nobilis huius cibi dignitate, æger cum Ecclesia admirabundus exclamet : *O res mirabilis; manducat Dominum pauper seruus & humilis ! Et cum Miphiboseth. Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei. Neque tamen ibi consistat, aut in sola consideratione Diuinæ Majestatis ac humanae vilitatis acquiescat; sed ad orationem & adorationē se conuertat. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, inquit Psalmographus.* Per pingues terræ, intelliguntur qui pane hoc cœlesti, qui pinguis est, Regibusque præbet delicias, saginantur.

## ORATIONES.

Luc.

24.

Ios. 10

**M**ane nobiscum Domine, quoniam ad uesperas cit, & inclinata est iam dies. Sic est, mi I E S V, breuiati sunt dies mei, & solum mihi superest sepulcrum, nec ullus est Iosue qui properantem hunc solem sistat, & diem extendat.

Dies

Dies præcessit & nox appropinquavit, nox illa mortis tremenda: quare, ô fide custos hominum, non discedas à me: sed contra mortem peccatorum pessimam, dextera tua protegat me.

A resistantibus dexteræ tuæ custodi me vt  
pupillam oculi tui, sub umbra alarum prote-  
ge me. Ps. 16.

Bone IESV, per sacratissimam mor-  
tem tuam, da mihi bonam mortem.  
Da saporem intimum æternitatis, vt  
lætus, transitoria deseram.

Quando tales hospitem hospitio  
acceperis, ei, latebras omnes animæq;  
recessus omnes fidenter aperi, sicuti  
patri, filia; sponso, sponsa. Dic Patri,  
qui diues est, maximè autem in miser-  
ationibus, vt pauperis filiæ misere-  
tur secundum magnam misericordiā  
suam. Si fidei lumine indiges, dic ei:  
Illumina oculos meos, ne unquam obdor- Ps. 12.  
miam in morte, ne quando dicat inimicus  
meus, præualui aduersus eum.